

REGINBERTVS SAXONIAE COMES.



**R**eginbertus ex nobili familia Vitekindi apud Saxones patre Theodorico comite à Ringelheim prognatus fuit. Is magnæ fortitudinis heros sese fortiter Danis opposuit, qui anno Christi noningentesimo tricesimo Saxoniam uastarunt. Cum ijs prælio decertans, uictoriam obtinuit, atque sibi magnum nomen comparauit. Huius sororem Mathildin Henricus primus Imperator uxorem duxit, ac ex ea Ottonem Magnum procreauit. Par ratione ex Reginberti familia multi apud Saxones uiri illustres prouenere, qui suam patriam plurimum decorarunt, ac contra omnes irruentes hostes fortiter defenderunt. Alber. Crantz. lib. 3. ca. 11.